ROHRICHT

****

DE CLEMENTE ALEXANDRINO ARNOBI
IN IRRIDENDO GENTILIUM CULTU
DEORUM AUCTORE

DE CLEMENTE ALEXANDRINO ARNOBII IN IRRIDENDO GENTILIUM CULTU DEORUM AUCTORE

SCRIPSIT

ALEXANDER RÖHRICHT, P.

PROGRAMMA

PAULINI IN HORN PROPE HAMBURG

1892/93.



HAMBURGI

TYPIS LÜTCKE ET WULFF

MDCCCLXXXXIII.

1893. Progr. Nr. 739.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

Summam intercedere similitudinem inter ea, quae et Arnobius et Clemens Alexandrinus in priore potissimum Protreptici parte contra ueterum dixerunt de dis fabulas et mysteria neminem potuit fugere. Itaque Arnobium sua Clementi debere Kettner[1]) dixit quidem, sed nondum ea, quam flagitamus in re difficili, diligentia singula pertractauit. Qua re etiam nunc dissentiunt uiri docti, qui obiter hanc quaestionem attigerunt. Ita ex eodem fonte utrumque scriptorem hausisse non audet negare Reifferscheid,[2]) et Kahl[3]) „Schwieriger" inquit „ist die Frage zu entscheiden, ob die unverkennbaren Uebereinstimmungen, die sich zwischen Arnobius und Clemens Alexandrinus finden, auf Clemens als Quelle des Arnobius oder auf Vorlage einer gemeinsamen Quelle schliessen lassen". A. Ludwich[4]) autem Arnobium V, 24—26 praeter Clementem alium scriptorem exscripsisse confidenter contendit contra R. Foersterum,[5]) cui haec ad Protrepticum redire uidebantur. Qua re ut tandem ratio, quae sit inter Arnobium et Clementem, illustretur, singillatim constitui de omnibus quaerere, quae ab utroque scriptore similem in modum exposita sunt.

---

[1]) Programm der Königl. Landesschule Pforta, Naumburg 1877. pg. 4—7.

[2]) Bursians Jahresbericht VIII, 3. Abth. 1880. pg. 284.

[3]) Philol. Supplbd. V. 1889. pg. 720.

[4]) Jahrbb. für class. Philol., 1890. pg. 51 sqq.

[5]) Der Raub und die Rückkehr der Persephone. Stuttg. 1874. pg. 282 sqq.

I.

Cum in ceteris Arnobii libris nulla inueniatur cum Clemente similitudo, in libris IV—VI multa insunt Clementis Protreptico simillima. Cuius rei initium fit in capite libri IV quarto et decimo, quo auctor de theologorum quorundam sententia, unius dei nomine plura numina comprehendi, ita disputat, ut et latinum scriptorem et graecum suspicari possis auctorem eius fuisse. cf. enim IV, 13: „*quam quidem olim partem iudicii acris uiri atque ingenio perspicaci tam sermone Italo explicuere quam Graeco.*" Sed noli iis uerbis nimis confidere: repetita enim uidentur a Cicerone,[1]) quem Arnobius toto capite quarto et decimo secutus est.[2])

Transit Arnobius ad aliud irridendi genus; nam inde a capite 19 Euhemeristica arte usus de ortu et matrimoniis, de liberis et amoribus, de seruitutibus et perpessionibus, de mortibus et sepulturis deorum agit. Quibus in rebus cum iam capite 23, Iouem praecipue urgens, Clementem (Protrept. II. 37) redoleat auctor, omnium deinceps capitum (24—29) summa est cum Clemente affinitas. Sed aliis magna ex parte rationibus disposita sunt Clementina, aliis Arnobiana, et apud Clementem saepe coniuncta inter se, quae apud Arnobium sunt direpta, uel apud Arnobium in unum locum congesta, quae apud Clementem uariis locis sunt dissipata. Nec dubium, quin magis certum consilium secutus sit Clemens quam Arnobius. Nam Clemens II, 29[3]) et II. 32[4]) argumenti conspectu praemisso ordinem indicat, quem secutus de deorum et dearum cultu, uitiis,

---

[1]) De nat. d. III, 16, 42: *nam Ioues quoque plures in priscis Graecorum litteris inuenimus.*

[2]) De nat. d. III. 16, 42; 21, 53 seqq.

[3]) II, 29: *ἀλλ' αἵ γε πατρίδες αὐτοὺς καὶ αἱ τέχναι καὶ οἱ βίοι, πρὸς δέ γε καὶ οἱ τάφοι ἀνθρώπους γεγονότας διελέγχουσιν.*

[4]) II, 32: *Ἀκούετε δὴ οὖν τῶν παρ' ὑμῖν θεῶν τοὺς ἔρωτας καὶ τὰς παραδόξους τῆς ἀκρασίας μυθολογίας καὶ τραύματα αὐτῶν καὶ δεσμὰ καὶ γέλωτας καὶ μάχας, δουλείας τε ἔτι καὶ συμπόσια, συμπλοκάς τ' αὖ καὶ δάκρυα καὶ πάθη καὶ μαχλώσας ἡδονάς.*

calamitatibus disputaturus sit (cf. II, 29—31; 32—44). Aliter res se habet apud Arnobium, qui et priorum et posteriorum Clementis capitum argumenta temere prolata miscuit (cf. tabulam infra propositam sub 2—15). — Praeterea inueniuntur apud Arnobium ad easdem fabulosas res pertinentia, quae, cum similia apud Clementem non respondeant, aut ex ipsius Arnobii ingenio adiecta uideantur, aut, id quod ueri similius est, additamenta auctoris putanda sint ex aliis fontibus hausta, de quibus plurimis aliquid certi posse uidetur statui.[1])

Simili modo libri Arnobii V, quo perstringuntur gentilium mysteria, nonnullis capitibus in Protreptico occurrunt loci similes. Sane quidem priori parti (cap. 1—18), qua duae maxime fabulae, quae sunt de *Numa* (cap. 1—4) et de *Magna Matre* (cap. 5—18) pertractantur, nihil respondet apud Clementem, quam ob causam eas res Arnobium ex alio fonte transtulisse nostro iure opinamur;[2]) sed Clementina denuo deprehendimus in capite 19 et inde usque ad caput 29 iterum iterumque inuenimus. In qua parte res ex aliis fontibus adiectae uel interpositae, quales supra lib. IV, 24—29 exstabant, primo quidem obtutu non animaduertuntur.

[1]) Locis Clementi similibus IV, 24 praecedunt uerba: de *Venere Cythereia* (cf. Macrob. Sat. I, 8, 5 et ad rem Kahl l. c. pg. 726, sqq.; Hes. theog. 188—206), de *uincto Saturno* (Macrob. I, 8, 5 et Kahl l. c. pg. 726, sqq.; Preller, Röm. Myth. II³, 14, sqq.), de *seruato Ioue* (Arn. III, 41; Lucr. II, 630 sqq.), de *expulsione Saturni et in Italiam aduentu* (Verg. Aen. VIII, 319 sqq.). — Clementinis interposita sunt uerba IV, 24: de *Apolline dite facto eiusque ambiguitate* (Cic. d. diu. II, 56; Tert. Apol. 22; Min. fel. 26), de *Mercurio fure*, de *Lauerna* (Arn. III, 26 cf. Kahl l. c. pg. 721 sqq.), IV, 26: de *Saturno ab uxore in adulterio comprehenso* (Verg. Georg. III, 92—94).

[2]) Eiusmodi res, quales Arn. de Numa refert, an auctor e fonte per Kahlium l. c. pg. 720 indicato „*de originibus urbis Romae*“ transtulerit dubito. — Magna Mater Pessinuntiorum cum ipsa bello Punico secundo Romam traducta esset (cf. Preller, Röm. Myth. II³, 54 sqq.), fabulam illam, quam commemorat Arnobius V, 5 sqq. (cf. II, 73; VII, 49) inter Romanos satis peruulgatam uel pertractatam esse suspicor. Adde quod eadem de Magna Matre uerba fecerat Arnobii auctor Labeo (cf. Arn. III, 32 et Kahl l. c. pg. 763 sqq.).

Item multi loci libri VI, quo de templis agitur et simulacris profanatis inde a capite 3 usque ad caput 23 fere congruunt cum Clemente, etsi exempla quaedam e Varrone fluxisse in Arnobium auctor ipse indicauit.[1])

Postquam de iis Arnobii librorum IV—VI capitibus, quibus sunt in Protreptico similia, in uniuersum diximus, nunc secuti ordinem, quem habet Arnobius, singulos scriptorum similes locos, ut accurate inter se conferantur, secundum capita et editionum paginas adiectis uersiculorum numeris componamus.

1. Arn. IV, 14 (pg. 152, 9—15. ed. Reiffersch.) de V Mineruis = Cl. Protr. II, 28 (pg. 24, 4—13, ed. Klotz).
2. A. IV, 24 (160, 25—161, 1) de Iouis apud Lycaonem prandio = Cl. II, 36 (31, 18—24).
3. A. IV, 24 (161, 1—4) de Volcano et Aesculapio = Cl. II. 29 (25, 11—27).
4. A. IV, 24 (161, 8—10) de Macari filia Megaclone = Cl. II, 31 (26, 22—27, 5).
5. A. IV, 24 (161, 10—12) de Cinyra rege ac Venere = Cl. II, 13 (14, 35—15, 2).
6. A. IV, 24 (161, 12—13) de Palladio ex reliquiis Pelopis compacto = Cl. IV, 47 (41, 1—7).
7. A. IV, 25 (161, 13—20) de Marte = Cl. II, 29 (24, 30—25, 10).
8. A. IV, 25 (161, 20—26) de seruitutibus deorum = Cl. II. 35 (30, 8—17).
9. A. IV, 25 (161, 26—162, 5) de diis consauciatis = Cl. II, 36 (30, 33—31, 10).
10. A. IV, 25 (162, 5—7) de Iouis sepultura = Cl. II, 37 (32, 10—13).
11. A. IV, 25 (162, 7—13) de mortibus et sepulturis deorum = Cl. II, 30 (25, 33—26, 21).
12. A. IV, 26 (162, 13—21) de Neptuni et Apollinis amoribus = Cl. II, 32 (27, 6—22).

[1]) cf. Arnob. VI, 3. 6. 11. 23.

13. A. IV, 26 (162, 25—163, 7) de Iouis amoribus = Cl. II, 32 (27, 22—26); II, 37; II, 39 (34, 7—10).
14. A. IV, 26. 27 (163, 7—164, 1) de deorum et dearum amoribus = Cl. II, 33 (28, 3—29, 1).
15. A. IV, 29 (165, 11—18) de diis hominibus = Cl. II, 24 (20, 25—34).
16. A. V, 19 (190, 16—21) de Bacchanalibus = Cl. II, 12 (14, 7—12).
17. A. V, 19 (190, 21—24) de Cypriae Veneris mysteriis = Cl. II, 14 (15, 15—23).
18. A. V, 19 (190, 24—191, 3) de Corybantiis sacris = Cl. II, 19 (17, 19—29).
19. A. V, 19 (191, 3—14) de Libero a Titanis distracto = Cl. II, 17. 18 (16, 29—17, 17).
20. A. V, 20. 21 (191, 14—193, 8) de Ioue, Cerere, Proserpina = Cl. II, 15. 16 (15, 24—16, 20).
21. A. V, 24—26 (195, 8—198, 9) de Cerere et Baubo = Cl. II, 20. 21 (18, 9—19, 7).
22. A. V, 28. 29 (199, 5—200, 17) de Libero et Prosymno = Cl. II. 34 (29, 18—30, 6).
23. A. VI, 3 (216, 13—16) de templorum conditoribus = Cl. III, 44 (38, 4—6).
24. A. VI, 6 (218, 10—219, 10) de mortuis in templis sepultis = Cl. III. 44. 45 (38, 22—39, 14).
25. A. VI, 11 (222, 11—18) de simulacris = Cl. IV. 46 (39, 20—40, 8).
26. A. VI, 13 (224, 21—225, 16) de simulacris ad hominum formas fictis = Cl. IV, 53 (46, 25—47, 1).
27. A. VI, 16 (229, 4—8) de simulacris profanatis = Cl. IV. 52 (45, 27—28).
28. A. VI, 21 (232, 8—25) de simulacris exspoliatis = Cl. IV, 52 (45, 17—27).
29. A. VI, 22 (233, 8—20) de simulacris contaminatis = Cl. IV, 57 (50, 19—27).
30. A. VI, 23 (234, 4—18) de templorum incendiis = Cl. IV, 53 (46, 14—22).

II.

Tabulam proposui. Nunc ad singula accedemus et uiam monstrabunt hi loci:

Loc. sim. 12: (de Neptuni et Apollinis amoribus) init.

A. IV, 26 (162, 13—15): *nam quid de illis amoribus dicam quibus in feminas sanctos incaluisse caelestes uestris proditum litteris atque auctoribus continetur?*

Cl. II, 32 (27, 6—8): *Ἀκούετε δὴ οὖν τῶν παρ' ὑμῖν θεῶν τοὺς ἔρωτας καὶ τὰς παραδόξους τῆς ἀκρασίας μυθολογίας καὶ...*

Loc. sim. 13: (de Iouis amoribus) init.

A. IV, 26 (162, 25—163, 1): *Iuppiter ipse rex mundi nonne a uobis infamis est isse per innumeras species et petulantis amoris flammam seruilibus obumbrauisse fallaciis?*

Cl. II, 32 (27, 22—26): *αὐτός τε ὁ Ζεὺς ἐπὶ πᾶσιν ἡκέτω, ὁ πατὴρ καθ' ὑμᾶς ἀνδρῶν τε θεῶν τε· ὃς τοσοῦτος περὶ τὰ ἀφροδίσια ἐξεχύθη, ὡς ἐπιθυμεῖν μὲν πασῶν, ἐκπληροῦν δὲ εἰς πάσας τὴν ἐπιθυμίαν.*

Loc. sim. 14: (de deorum et dearum amoribus).

A. IV, 26 (163, 15 sqq.): *quid quod non contenti feminei generis adtribuisse diis curas etiam sexus adiungitis adamatos ab his mares?*

Cl. II, 33 (28, 16 sq.): *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ παίδων ἀπέσχοντο οἱ παρ' ὑμῖν θεοί...*

(163, 21 sq.): *sed soli amant apud uos mares et femineo sexui sua conseruata est sanctitas?*

(28, 24 sqq.): *ἀλλ' οἱ μὲν ἄρρενες αὐτοῖς τῶν θεῶν ἴσως μόνοι ἅπτονται περὶ τὰ ἀφροδίσια. „θηλύτεραι δὲ θεαὶ μένον αἰδοῖ οἴκοι ἑκάστη“...*

Loc. sim. 24: (de mortuis in templis sepultis) init. et fin.

A. VI, 6 (218, 10—13): *quid quod multa ex his templa, quae tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa et functorum corporum sepulturas esse?*

Cl. III, 44 (38, 22—25): *οὓς δή, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τούτους σιωπήσομαι, πρὸς δὲ καὶ αὐτοὺς ἐξελέγξω. νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δέ γενομένους. τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους.*

(219, 8—10): *infinitum est et inmensum, quibus quique in fanis toto sint in orbe describere, nec exactam desiderat curam…*

III. 45 (39, 12—14): *ἀλλὰ γὰρ ἐπιόντι μοι τοὺς προσκυνουμένους ὑμῖν τάφους, ἐμοὶ μὲν οὐδ' ὁ πᾶς ἂν ἀρκέσαι χρόνος.*

Similitudinem apparet esse non solum sententiarum sed etiam sermonis: eis enim uterque utitur dicendi formulis, quae non possunt non prouenire a gentilis religionis aduersario. Itaque si a Clemente non pendet Arnobius, ex tertio similis generis scriptore uterque hausit. Talem autem Christianum fontem iam Clementi suppeditasse neque constat neque uerisimile est. Nam Iudaeorum libris, quos maxime falsarios in Stromatum libris Clementem exscripsisse constat,[1]) in Protreptici capitibus, de quibus disputamus, certe non usus est. Contra nihil obstat, quominus hanc Protreptici partem Graecorum fabularum et diuinarum rerum plenissimam Alexandriae, quae Graecorum litteris tunc maxime florebat, Clementem maxima ex parte ipsum ex assidua Graecorum lectione composuisse putemus. Arnobium contra, apud quem praeter illa Clementinis simillima fere nihil inueniatur, quod pertineat ad Graecorum fabulas, neque alios Graecorum scriptores diligenter perscrutatum esse uerisimile est et in Clementis Protrepticum centum fere annis ante ipsum scriptum et peruulgatum incidisse facillime potest cogitari. Eundem

[1]) cf. Adolphus Scheck, de fontibus Clementis Alex. Progr. Gymn. August. ad Sti. Steph. Aug. Vindel. 1889.

uero libellum, omnibus rebus, quae ad irridenda ethnicorum sacra spectant, admodum repletum, non solum legisse Arnobium uerum etiam mirum in modum despoliauisse, eo facilius credi uidetur posse, quod scimus, in ipsis Latinis fontibus expilandis, ut similem sibi sumeret de dis sapientiam, nullum fere alium auctorem eum sibi adsciuisse nisi unum Labeonem.[1])

III.

Sententia de Arnobio et Clemente prolata mirum quantum confirmatur aliis locis, de quibus nunc dicamus.

Primum enim loc. sim. 20: Arn. V. 20. 21 de Ioue, Cerere, Proserpina = Cl. II, 15. 16 apud Arnobium uerba exstant, quae desiderantur apud Clementem in ceteris rebus cum illo consentientem: „*erat nobis consilium praeterire, praeteruehi illa etiam mysteria — nisi nomen interpositum his Iouis prohiberet nos strictim iniurias eius ignominiasque transire*...“ Sed haec ipsa uerba indicium sunt Clementinae originis manifestum. Nimirum inuenisse se hanc de Ioue fabulam in expositione Clementis de mysteriis facta, quae uerbis Clementinis loc. sim. 19 ab Arnobio exscriptis antecedebat (cf. Cl. II, 15. 16 cum 17. 18 et Arn. V. 20. 21 c. 19) auctor ipse inuitus fatetur.

Deinde in fabula loc. sim. 21: Arn. V, 24—26 = Cl. II, 20. 21 de Cerere et Baúbo enarranda ipsum Clementem Arnobio praesto fuisse, iam ex amborum scriptorum uerbis primis colligas, quibus turpissimas fabulas etiam inter Athenienses peruulgatas esse contendunt:

[1]) cf. Kettner, Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius. Progr. d. Köngl. Landessch. Pforta. Naumburg 1877. — W. Kahl, Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur spätröm. Litteraturgesch. Philol. Supplbd. V, 1889. pg. 717—807. — J. Mülleneisen, de Cornelii Labeonis fragmentis, studiis, adsectatoribus. Marb. Chatt. 1889. — W. Kahl, Wochenschrift für klass. Philol. 1890. Nr. 24, pg. 655—659.

A. V. 24 (195, 15—22): *multis enim consideremus mysteria et illa diuina — quibus gente ab Attica sancta illa peruigilia etc.? — multis, inquam, uideamus, quas origines habeant quasue causas, ut Athenas etiam probemus etc.*

Cl. II, 20 (18, 9—12): *καὶ τί θαυμαστὸν εἰ Τυρρηνοὶ οἱ βάρβαροι αἰσχροῖς οὕτω τελίσκονται παθήμασιν, ὅπου γε Ἀθηναίοις καὶ τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι, αἰδοῦμαι καὶ λέγειν, αἰσχύνης ἔμπλεως ἡ περὶ τὴν Δηὼ κ. τ. λ.*

Idem probatur verbis extremis Arn. V, 26: „*quid Erechthidae o cati — dicitis*“? cf. Cl. II, 22 init. — „*μᾶλλον δὲ ματαιόφρονος Ἐρεχθειδῶν δήμον*“. Nam uerba prima uel insolitum patronymicum *Erechthidarum* utrumque scriptorem aut ex suo ingenio addidisse aut ex uno eodemque fonte transtulisse quis est qui putet?

Accedit quod in capite V. 24 mysteria, quae sunt de Cerere et Baubo, inepte Arnobius uocat *Thesmophoria*, in capite 26 recte appellat *Eleusinia*. Eam nominum permutationem Kettner[1]) factam esse opinatur ea re, „*quod de Thesmophoriis eius modi narratiunculae ferebantur.*“ Sed multo magis commendatur coniectura, Thesmophoriorum uocem in textum Arnobii irrepsisse, quod Protreptico usus in paginis fabulae antecedentibus iterum iterumque eam legerat (cf. Cl. II. 17; II. 19).

Denique uideas bis et apud Arnobium et apud Clementem easdem res *Posidippi* cuiusdam, qui de Cnidi antiquitatibus scripsisse uidetur, testimonio firmari (cf. Arn. VI. 13; 22; Cl. IV, 53; 57). Quod alia ratione uix poterit explanari, nisi ea ut censeamus, ex Protreptico Arnobium sua illis locis mutuatum esse. Nam et nomen et alias res simillimas scriptoribus ex uno eodemque fonte fluxisse, haud uerisimile est, praesertim cum Posidippum illum de Cnido auctorem apud alium veterum scriptorum apellatum non inueniamus.

Simile et grauius argumentum mihi inesse uidetur in triplici *Cingrae* mentione apud utrumque scriptorem (cf. Arn.

---

[1]) cf. l. c. pg. 5.

IV, 24; V, 19; VI, 6; Cl. II, 13; II, 14; III, 45). Quod nomen una cum ceteris rebus similibus ex communi fonte translatum esse uix quisquam contendet.[1]

IV.

Paucis tantum disputandum est de iis similibus locis, qui minus offendunt, quia aut accuratissime inter se consentiunt scriptores, aut leuissime alter ab altero discrepat:

Loc. sim. 2: de Iouis apud Lycaonem prandio
A. IV, 24 (160, 25—161, 1) = Cl. II, 36 (31, 18—24).

Qua de fabula quamquam ab aliis scriptoribus aliter refertur (cf. Ouid. Met. I, 214 sqq., 226 sqq.; Appollod. III, 8; Plato Rep. 565 D; Preller, Gr. Myth. I[4], 128 adn. 1) tamen Arn. et Clem. plane congruunt. Praecipue ipsum Lycaonis filium necatum esse uterque narrat; Molossorum obsidem interfectum esse Ouidius et alium puerum indigenam Apollodorus affert.

Loc. sim. 3: de Volcano et Aesculapio
A. IV, 24 (161, 1—4) = Cl. II, 29 (25, 11—27).

Huic de *Volcano* fabulae secundum Homerum (Il. A, 591) per Clementem enarratae ipse auctor ex suo ingenio addidit „ἐχάλκευε“; idem additamentum in uerbis Arnobii inesse elucet.

[1]) Adde quod communis fons inter scriptores prioris aetatis uix inueniri posse putandus est. Nam quamquam Cinyras iam apud Pindarum (Pyth. II, 15; Nem. VIII, 17) sacerdos Veneris uocatur, tamen illae de eo et Venere Cypria eiusque mysteriis fabulae, ad quas spectant tres apud Clem. et Arnob. loci, posterioribus temporibus ortae et peruulgatae uidentur esse. Quarum rerum Homerus (Il. XI, 20) et Ouidius (Met. X, 298 sqq.), qui Cinyram nominant, commemorant nullam. Probari idem uidetur verbis Taciti hist. II, 3: „*fama recentior tradit a Cinyra sacratum templum deamque ipsam (sc. Venerem) conceptam mari huc adpulsam.*“

Loc. sim. 4: de Macari filia Megaclone
A. IV, 24 (161, 8—10) = Cl. II, 31 (26, 22—27, 5).

Macari et *Megaclonis* nomina apud alios scriptores non occurrunt. Neque offendit quod „*Myrtilus*" apud Arnobium, „*Μυρσίλῳ*" apud Clementem legitur. Nam in eo nomine scribendo non sibi constabant auctores (cf. Pape-Bens. s. uerb. *Μυρσίλος* et *Μυρτίλος*). Eundem Arnob. III, 37, qui locus a Labeone forsitan fluxit,[1] M y r t i l u m uocat (cf. Müller, fragm. hist. Graec. IV, 455).

Loc. sim. 6: de Palladio ex reliquiis Pelopis compacto
A. IV, 24 (161, 12—13) = Cl. IV, 47 (41, 1—7).

Hac de re, quam Clemens a Dionysio nescio quo auctore ducit, nullus alius scriptor, qui ante Arnobii aetatem fuit, uidetur tradidisse.[2]

Loc. sim. 10: de Iouis sepultura
A. IV, 25 (162, 5—7) = Cl. II, 37 (32, 10—13).

Huic loco quamquam Arnobius similia apud Clementem eadem, ut opinor, pagina inuenit, qua superiora occurrebant (cf. l. sim. 9), tamen incertum uidetur, num illic eundem auctorem secutus sit. Nam Iouis sepulturae iam supra III, 30 Labeonem adsectatus[3]) et IV, 14 Ciceronem secutus[4]) mentionem fecit.

[1]) cf. Kahl l. c. pg. 792 et adn. 175.

[2]) Sed mentione indico dignum, quod Firmicus Maternus, quem ipsum quoque nonnullis in rebus Clementem secutum esse puto (cf. Ueberweg, Grundr. der Gesch. der Philos. II[7], 91), uerba addidit „*hoc Abaris Scytha fecisse perhibetur*" (de err. prof. rel. cp. 15, ed. Halm). Quod cum apud Clementem desideretur, dubitaui, an alium fontem h. l. Firmicus secutus sit. Tamen id non obstat, quominus Clementem h. l. fontem Arnobii esse censeamus.

[3]) cf. Kahl l. c. pg. 723, 770 sq.

[4]) cf. de n. d. III, 21, 53; cf. supra pg. 4.

Loc. sim. 12: de Neptuni et Apollinis amoribus
A. IV, 26 (162, 13—21) = Cl. II, 32 (27, 6—22).

De figura rhetorica primis h. l. uerbis expressa uide supra pg. 8. In ceteris uerbis simillimis quindecim nominum propriorum, quibus uocantur apud Clementem Neptuni et Apollinis mulieres amatae, alium ordinem secutus tredecim ipse quoque affert Arnobius. Desideratur inter amores Neptuni *Ἀλόπη* et *Χιόνη*. Nomina propria in cod. P et in superioribus editionibus partim mendose scripta nunc secundum Clementem editores emendauerunt.

Loc. sim. 27: de simulacris profanatis
A. VI, 16 (229,4—8) = Cl. IV, 52 (45, 27—28).

Verba notaui omnium inter se simillima, quamquam in aliis quoque rebus Arnobius (capp. VI, 15. 16) cum Clemente (IV, 51. 52) consentit.

V.

Vix aliter iudicabis de sequentibus, ubi discrepantiae aliam causam non licet indagare nisi neglegentiam, qua Arnobius Clementem exscripserit:

Loc. sim. 7: de Marte
A. IV, 25 (161, 13—18) = Cl. II, 29 (24, 30—25, 8)

quis Spartanum fuisse Martem? non Epicharmus auctor uester? quis in Thraciae finibus procreatum? non Sophocles Atticus cunctis consentientibus theatris? quis mensibus in Arcadia tribus et decem uinctum? non Melae fluminis filius? quis ei canes

ὁ ἀλλοπρόσαλλος.., ὡς μὲν Ἐπίχαρμός φησιν, Σπαρτιάτης ἦν· Σοφοκλῆς δὲ Θρᾷκα οἶδεν αὐτόν· ἄλλοι δὲ Ἀρκάδα. τοῦτον δὲ Ὅμηρος δεδέσθαι φησὶν ἐπὶ μῆνας τρισκαίδεκα . . . πολλὰ κἀγαθὰ Κᾶρες σχοῖεν, οἳ καταθύουσιν αὐτῷ τοὺς κύνας. Σκύ-

ab Caribus, quis ab Scythis asinos immolari? non principaliter cum ceteris Apollodorus?

θαι δὲ τοὺς ὄνους ἱερεύοντες μὴ παύεσθαι, ὡς Ἀπολλόδωρός φησι καὶ Καλλίμαχος, „Φοῖβος Ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ἱροῖς.“

Uterque scriptor iisdem de rebus uerba facit. Sed cum Clemens recte afferat. Homerum de uincto Marte retulisse (cf. Il. E, 385 sqq.; Preller, Griech. Myth. I^{4}, 103 sq.). Arnobius hoc in Arcadia factum esse falso tradit, quia uerba Clementis τοῦτον δὲ Ὅμηρος κ. τ. λ. male cum antecedentibus ἄλλοι δὲ Ἀρκάδα coniunxit. Et cum Clemens dicat. Marti a Caribus canes et Apollini a Scythis asinos immolari [1]) atque nuntii de Apolline relati praeter Callimachum Apollodorum nominet auctorem, Arnobius satis habuit et canium apud Cares immolationes et asinorum apud Scythas ad Martem referre et ab uno Apollodoro auctore ducere.

Loc. sim. 9: de dis consauciatis

A. IV, 25 (161, 27—162, 2 = Cl. II, 36 (31, 4—8)

non ex uobis Panyassis unus est, qui ab Hercule Ditem patrem et reginam memorat sauciatam esse Iunonem?

καὶ μὴν καὶ τὸν Ἀϊδωνέα ὑπὸ Ἡρακλέους τοξευθῆναι Ὅμηρος λέγει, καὶ τὸν Ἠλεῖον Αὐγέαν Πανύασσις ἱστορεῖ. ἤδη δὲ καὶ τὴν Ἥραν τὴν ζυγίαν ἱστορεῖ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἡρακλέους ὁ αὐτὸς οὗτος Πανύασσις ἐν Πύλῳ ἠμαθόεντι.

[1]) Quamquam illud de Caribus, quo canes eos Marti immolauisse refertur, nisi per Clementem non traditur (cf. Preller, Gr. Myth. I^{4} 341, adn. 4), tamen nostro iure suspicamur, ea quoque in re rectum eum tradidisse. Immolationum uero per Scythas Apollini factarum praeter Callimachum (fr. 187, 188) Pindarum (Schol. uers. 49 sqq.) habemus auctorem (cf. Preller, Gr. Myth. I^{4}, 242 adn. 5).

Ditis ab Hercule uolnerati cum Clemens recte Homerum (cf. Il. E. 395 sqq.) afferat auctorem, Augeae uolnerati et Iunonis sauciatae Panyassim, Arnobius et dei et deae uulnerationem Panyassi tribuit.

Loc. sim. 11: de mortibus et sepulturis deorum

A. IV, 25 (162. 7—10) = Cl. II, 30 (25, 33—26, 7)

in Spartanis et Lacedaemoniis finibus nos dicimus conditos in cunis coalitos fratres? noster ille est auctor, qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat reliquiasque Saturnias tellure in Sicula contineri?

(Φιλόχορος δὲ . . . φησίν) Κρόνῳ δὲ ἐπικεῖσθαι Σικελίαν καὶ ἐνταῦθα αὐτὸν τεθάφθαι. Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστορεῖτον τῶν Διοσκούρων πέρι· ἀνθρώπω τινὲ τούτω τὼ Διοσκούρω ἐπικήρω γενέσθην, εἴ τῳ ἱκανὸς πιστώσασθαι Ὅμηρος τὸ λελεγμένον· „— — τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐν πατρίδι γαίῃ.“

Eadem narrant et Clemens et Arnobius. Sed cum ille ad Philochorum, Patroclem, Sophoclem prouocet, unius Patroclis testimonio utitur Arnobius. Et latet quidem, quid illi dixerint, sed hic quoque nostro iure suspicari licet, neglegentia peccare Arnobium.

Loc. sim. 22: de Libero et Prosymno

A. V, 28 (199, 5—8) = Cl. II, 34 (29, 18—22)

iam dudum me fateor haesitare circumspicere tergiuersari, tricas quemadmodum dicitur conduplicare Tellenas, dum pudor me habet Alimuntia illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem etc.

ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια καὶ τὰ ἐν Ἁλιμοῦντι τῆς Ἀττικῆς Ἀθήνησιν περιώρισται· αἶσχος δὲ δὴ κοσμικὸν οἵ τε ἀγῶνες καὶ οἱ φαλλοὶ οἱ Διονύσῳ ἐπιτελούμενοι, κακῶς ἐπινενεμημένοι τὸν βίον.

Nomen mysterii, quod est de Libero et Prosymno tacet Clemens, Arnobius mysteria uocat *Alimuntia*, nulla alia re uidelicet perductus, nisi quod uerba Clementis parum accurate inspexerat.

Loc. sim. 24: de mortuis in templis sepultis

A. VI, 6 (218, 20) = Cl. III, 45 (38, 32 sq.)

Dairas et Immaradus fratres	Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας (sc. υἱός)

Quasi delirans Arnobius „*Dairas et Immaradus fratres*" sibi sumpsit ex uerbis Clementis, in quibus causa dubia non inest. — Neque inter locos Arnobianos usque eo commemoratos inuenitur ullus, qui ex eodem fonte utrumque scriptorem haurire doceat.

VI.

Ex eis autem, quae hactenus disputauimus, etsi dubitatione uidentur exempta esse, nondum licet de uniuersa quaestione certo iudicare. Obstant enim grauiores differentiae, de quibus nunc uideamus.

Atque de IV, 13 sq. iam supra pg. 4 dixi, in afferendis eiusdem nominis numinibus Arnobium Ciceronem praecipue secutum esse. Sed in enumeratione quinque Mineruarum cum Clemente magis consentit:[1])

Loc. sim. 1: de V Mineruis

A. IV, 14 (152, 9–15) = Cl. II, 28 (24, 4—13).

Sed et Mineruae, inquiunt — quinque sunt, ex quibus prima non uirgo sed ex Volcano Apolli-	Εἰσὶ δὲ, οἳ πέντε Ἀθηνᾶς ὑποτίθενται, τὴν μὲν Ἡφαίστου, τὴν Ἀθηναίαν, τὴν δὲ Νείλου,

[1]) Illud quoque mentione uidetur dignum, quod Arnobius non solum non cum Cicerone, sed ne cum aliis quidem scriptoribus, qui de V. Mineruis tradiderunt (Ampelium maxime specto lib. mem. c. IX) tantum congruit quantum cum Clemente.

nis procreatrix, Nili altera proles et quae esse perhibetur Aegyptia, stirps Saturni tertia est et quae usum excogitauit armorum, Iouis quarta progenies quam Messenii Coryphasiam nuncupant, et quae Pallantem occidit patrem incestorum adpetitorem est quinta.

τὴν Αἰγυπτίαν, τρίτην τὴν Κρόνου τὴν πολέμου εὑρέτιν, τετάρτην τὴν Διὸς, ἣν Μεσσήνιοι Κορυφασίαν ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐπικεκλήκασιν· ἐπὶ πᾶσιν τὴν Πάλλαντος καὶ Τιτανίδος τῆς Ὠκεανοῦ· ἣ τὸν πατέρα δυσσεβῶς καταθύσασα, τῷ πατρῴῳ κεκόσμηται δέρματι, ὥσπερ κῳδίῳ. καὶ μὴν Ἀπόλλωνα ὁ μὲν Ἀριστοτέλης πρῶτον Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς — ἐνταῦθα δὴ οὐκέτι παρθένος ἡ Ἀθηνᾶ —

Discedunt scriptores primum eo quod Arnobius Mineruam non filiam Volcani appellat sed uxorem eius atque Apollinis matrem cogitat. Sed additamentum „*non uirgo*" indicare mihi uidetur, ex extremis Clementis uerbis auctorem id praecepisse, in quo summum crimen inesse uidebatur. Accedit quod simul auctor errorem commisit. Nam hanc ipsam primam Mineruam infra inepte matrem Dianae uocat (IV, 16: *quae Apollinem genui, quae Dianam*), nescius, alium antiquitus esse Apollinem, Volcani et Mineruae filium, cui nomen erat *πατρῴῳ* (cf. Schoemann ad Cic. d. n. d. III, 22, 55; Preller, Griech. Myth. I[4], 202), alium Apollinem Iouis et Latonae filium atque eam ob causam cum Apolline illo Dianam non esse coniuugendam. — Verbis de quarta Minerua conscriptis quamquam auctor non addidit „*ἀπὸ τῆς μητρὸς,*" tamen ea uerba eum legisse apparet e uerbis capitis 16: „*uel ex Coryphae matris signo*"; nihilo minus illud „*Κορυφασίαν*" ad ortum quoque „*ἐκ κορυφῆς Διός*", de quo constabat, refert. — Simplicem denique Mineruarum seriem Arnobius infra de rixa dearum blaterans (cap. 16) uerbose pertractauit et adiecto Platonico loco (Tim. pg. 21 E) suum in usum convertit. Qua re in tota argumentatione quidquam inueniri, quod ex Clementis uerbis non fluxisse uideatur (id quod opinatus est Kettner l. c. pg. 4 et 17) negamus.

Loc. sim. 5: de Cinyra ac Venere

A. IV, 24 (161, 10—12)	= Cl. II, 13 (14,35—15,2)
numquid rege a Cyprio, cuius nomen Cinyras est, dictatum meretriculam Venerem diuorum in numero consecratam?	*οὐ γάρ με ὁ Κύπριος ὁ νησιώτης Κινύρας παραπείσαι ποτ᾽ ἄν, τὰ περὶ τὴν Ἀφροδίτην μαχλῶντα ὄργια ἐκ νυκτὸς ἡμέρᾳ παραδοῦναι τολμήσας, φιλοτιμούμενος θειάσαι πόρνην πολίτιδα.*

Ut ratio inter scriptores hoc loco non satis clara et dilucida recte perspiciatur, utriusque primum uerba accurate interpretari necesse est. Itaque postquam iam antecedentibus uerbis Clemens de mysteriis peruulgatis locutus est, haec sibi uolunt uerba exscripta: „*neque enim me Cinyras perduxerit, qui ausus est, flagitiosa Veneris orgia ex tenebris in lucem producere, cum famosam ciuem meretricem deam efficere uehementer cuperet.*" Arnobii uerba: „*a Cinyra rege meretricula in numero deorum consecruta est, ita ut in Veneris loco poneretur.*" Qua re Arnobius *Venerem* uidetur adiecisse, quod uerba de meretrice dea facta ad Veneris mysteria retulerat Clemens.[1])

Loc. sim. 7: de Marte

A. IV, 25 (161, 13—20)	= Cl. II, 29 (24, 30—25, 10)
quis Spartanum fuisse Martem — non scaenae?	*ὁ ἀλλοπρόσαλλος — Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.*

Neglegentia h. l. Arnobium a Clemente dissentire supra pg. 14 sq. demonstrauimus. Nunc addendum est, Arnobium

[1]) Probatur sententia uerbis Firm. Materni de err. prof. rel. (ed. Halm) cp. 10, quem item e Clemente mutuatum esse indico (cf. supra pg. 13 adn. 2): „*audio Cinyram Cyprium templum amicae meretrici donasse — ei erat Venus nomen —, initiasse etiam Cypriae Veneri plurimos*" etc. Nam ut Arnob. ex uerbis Clementis de Veneris mysteriis una cum uerbis de meretricula dea facta allatis colligit, meretriculam in Veneris loco positam uel Veneris honoribus affectam esse, ita Firm. ipsum Veneris nomen ei indit.

(161, 15) Sophocli adiecisse *„cunctis consentientibus theatris,“* *„Callimachum“* omisisse, supposuisse (161, 18) *„principaliter cum ceteris.“* Eas res consuetudine Arnobii hyperbolice uel rhetorice dicendi ortas esse manifestum est. — In extremis uerbis, quae sunt *„de Marte in laqueis inuoluto“* alium fontem (cf. Ouid., Met. IV, 171 sqq., Hom. Od. VIII, 266 sq.) secutus est.

Loc. sim. 8: de seruitutibus deorum
A. IV, 25 (161, 20—26) = Cl. II, 35 (30, 8—17)

numquid aliquando a nobis conscriptum est mercennariam deos seruitutem seruisse, ut Herculem Sardibus amoris et petulantiae causa, ut Admeto Apollinem Delium, ut Laomedonti Troico Iouis fratrem, ut eidem sed cum patruo Pythium, ut coniugalia secreta miscentibus Mineruam luminis ministram et lucernarum modulatricem?

. . . ἀλλὰ καὶ πρὸς τῶν Ἑλλήνων καλουμένων τῶν παρὰ Λακεδαιμονίοις δούλειον ὑπεισῆλθεν ζυγὸν Ἀπόλλων Ἀδμήτῳ ἐν Φεραῖς, Ἡρακλῆς ἐν Σάρδεσιν Ὀμφάλῃ, Λαομέδοντι δ᾽ ἐθήτευε Ποσειδῶν καὶ Ἀπόλλων, καθάπερ ἀχρεῖος οἰκέτης, μηδὲ ἐλευθερίας . . . Ὅμηρος δὲ τὴν Ἀθηνᾶν οὐκ αἰσχύνεται παραφαίνειν λέγων τῷ Ὀδυσσεῖ χρύσεον λύχνον ἔχουσαν ἐν χεροῖν.

Nonnullis Arnobius a Clemente discrepat, cum pro Ὀμφάλῃ dicat *„amoris et petulantiae causa“*; Apollinem *„Delium“* uocet et *„Pythium“*, Laomedonti adiungat *„Troico“*, pro Ποσειδῶνι substituat *„Iouis fratrem“*, pro Ποσ. καὶ Ἀπόλλωνι afferat *„sed cum patruo Pythium“*, immutet uerba extrema. Sed hae discrepantiae minoris sunt momenti, quia ad res pertinent et aliis Romanis et Arnobio notas. Neque mirabimur, quod notae de *„Hercule“* et *„Omphale“* fabulae. (cf. Prop. IV. 10, 17 sqq; Ouid. Her. IX. 53; Preller, Griech. Myth. II^{3}. 226 sqq.) addidit *„amoris et petulantiae causa“*, quibus uerbis id egit auctor, ut odium augeret. — Verbis extremis ad Mineruam pertinentibus de dea *olei inuentrice* Arn. uidetur cogitasse. Tamen ea uerba Clementinis, quibus Homerum (Od. XIX, 33 sq.) secutus sua ratione *„luminis ministram“* Mineruam significat auctor, certe

suggesta sunt. Qua re hoc loco ne ineptire quidem Arnobium Kettnero (cf. l. c. pag. 1) concedam.

Loc. sim. 9: de diis consauciatis

A. IV. 25 (161. 26—162. 5) =	Cl. II. 36 (30, 33—31, 10)
nonne ille uester est — uulneris et doloris?	*τεκμηριοῖ δὲ Ὅμηρος — οὐτασθῆναι λέγει.*

De uerbis huius loci mediis (*non ex uobis Panyassis — esse Iunonem?*) uide supra pg. 15 sq. — Quod auctor Clementinum *Αὐγέαν* omisit, non miramur, cum id ageret, ut deos appellaret omnium clarissimos et summo honore affectos.

Loc. sim. 11: de mortibus et sepulturis deorum

A. IV. 25 (162. 7—13) =	Cl. II. 30 (25, 33—26, 21)
in Spartanis et Lacedaemoniis — in cinerem prodidit?	*Κρόνῳ δὲ ἐπικεῖσθαι — ἐν Οἴτῃ πυρᾶς κεκηδευμένος.*

De prioribus h. l. uerbis (*in Spartanis — in Sicula contineri?*) cf. supra pg. 16. Etiam in sequentibus Clementem apud Arnobium praecipue ex *Hieronymi* nominis mentione cognoscimus. Nihil obstat, quod de „*morborum comitialium ruinis*“ refert Arnobius, tacet Clemens. Neque enim dubium est, quin de fabula, quam in *Ἡρακλεῖ μαινομένῳ* tradit Euripides, cogitauerit auctor. — De *Plutarcho* Arnobii infra disputabimus.

Loc. sim. 13: de Iouis amoribus

A. IV. 26 (162. 25—163. 7) =	Cl. II, 32 (27, 22—26); II, 37; II, 39 (34, 7—10)
Iuppiter ipse — apud Thessalos matrem?	*αὐτός τε ὁ Ζεὺς — τὴν ἐπιθυμίαν;* II, 37; *τί δαὶ πάλιν οἱ Θετταλοί; — γεννῆσαι.*

Verba prima (*Iuppiter — obumbrauisse fallaciis?*), quibus manifesto Arn. indicat Clementem, pg. 8 tractaui. Sequuntur uerba de Ione in uarias species mutato, quorum illud de deo in

aurum et in *satyrum ludicrum* uerso ex Ouidio auctor mutuatus est (cf. Ouid. Met. IV, 611; VI, 110 sqq.)

Loc. sim. 14: de deorum et dearum amoribus

A. IV, 26. 27 (163, 7—164, 1) = Cl. II. 33 (28, 3—29, 1)

quis illum in Alcmena — Romanae dominationis auctorem?	εἰς ὅσον διελήλακεν ἀσελγείας ὁ Ζεὺς — καὶ Φάωνα ἐλόχα καὶ ἤρα Ἀδώνιδος.

Cum toto fere tertio et tricesimo Clementis capite Arnobius consentit.

Similitudines (*quid quod non contenti — mares?* 163.15 sqq.; *sed soli amant — sanctitas?* 163, 21 sq.) supra pg. 8 notaui grauissimas. Ex alio autem fonte hausit Arnobius *Catamitum Iouis delicium* (cf. Arn. V, 22; Cic. Tusc. I. 26, 65) et *Fabium* (cf. Festum pg. 244), quorum alterum sine additamento citat Clemens, alterum omittit. — In extremis verbis a Clemente discrepat Arnobius:

163, 25—164, 1: *Proserpinam in Adonem, matrem eius Cererem in Iasionem nescio quem rusticanum et post Vulcanum Phaethontem Martem in Anchisae nuptias ipsam illam Venerem Aeneadum matrem et Romanae dominationis auctorem?*	28. 32—29, 1: ἐπὶ δὲ Ἰασίωνι Δημήτηρ καὶ ἐπὶ Ἀδώνιδι Φερεφάττα. Ἀφροδίτη δὲ ἐπὶ Ἄρει κατῃσχυμμένη μετῆλθεν ἐπὶ Κινύραν καὶ Ἀγχίσην ἔγημεν, καὶ Φάωνα ἐλόχα καὶ ἤρα Ἀδώνιδος. . .

Ut ad Iasionem adderet „*nescio quem rusticanum*“ propter Cererem factum esse elucet. Deinde quod a Venere amatos nominat Arnobius *Vulc., Phaeth., Mart., Anchis.,* Clemens *Mart., Cinyr., Anchis., Phaon., Adonid.,* facile intellegitur. *Vulcanum* auctorem uocasse ut auctoritate maiorem, de quo constaret (cf. Arnob. V, 41; Hom. Od. VIII, 267 sq.), *Cinyram* et *Adonidem* omisisse ut minores, quorum alter iam supra (cf. IV, 24), alter nunc ipsum cum Proserpina commemoratus esset. *Phaethontem* perperam scripsit pro *Phaone* (de quo cf. Preller,

(Griech. Myth. I[4], 371 sq.), quia notum nomen, cuius etiam alio loco mentionem facit (cf. Arnob. V, 42) posuit pro ignoto. — Extremis verbis ad Romanos maxime spectare auctorem manifestum est.

Loc. sim. 15: de diis hominibus

A. IV, 29 (165, 11—18) = Cl. II, 24 (20, 25—34)

et possumus quidem hoc in loco omnis istos, nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare uel Agragantino Euhemero replicato, cuius libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit, uel Nicagora Cyprio uel Pellaeo Leonte uel Cyrenensi Theodoro uel Hippone ac Diagora Meliis uel auctoribus aliis mille, qui scrupulosae diligentiae cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt.

ὧν δὴ χάριν — θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον καὶ Διαγόραν καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον — ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ — καί τινας ἄλλους συχνούς, σωφρόνως βεβιωκότας καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην ἀθέους ἐπικεκλήκασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἀλλὰ τὴν πλάνην γε ὑπωπτευκότας.

Non congruere h. l. scriptores apertum est. Primum id quod de *„Ennio Euhemeri interprete“* dixit Arnobius utpote notissimum de suo addidit. — Deinde falsum est *„Διαγόραν καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον“* apud Clementem (quod errore fortasse ortum est uetusti codicis, nam idem legit Arnobius); *Hippo* enim uidetur *„Samius“* fuisse (cf. Zeller, Phil. d. Gr. I[4] 232 adn. 3). Inde Arnobius, qui Diagoram *„Melium“* esse sciuit, temere finxit *„Hipponem et Diagoram Melios“*. — Errore porro *Νικάνορα* Clementis in Arnobii *Nicagora* transformatum est. — Sed haec leuiora, grauius quod *Pellaeus Leon* desideratur apud Clementem. Hoc nomen, quod et aliis ecclesiae scriptoribus, quorum *„Aegyptium“* quidam uocant Leontem (cf. Tert. de cor. 7; August. de cons. evang. I, 23

Tatian. adu. Graec. c. 44) notum sit, de suo Arnobius inseruisse potest. Adde quod Clemens l. c. (21, 2 sqq.) uerba adiecit: *ὧν* (ref. ad uerba: *καί τινας ἄλλους συχνούς:* 20, 29 sq.) *ὁ μέν τις παρεγγυᾷ τοῖς Αἰγυπτίοις· εἰ θεοὺς νομίζετε, μὴ θρηνεῖτε κ. τ. λ.*. quae ad Leontem Aegyptium spectare aut compertum habuit auctor aut coniecit. Putaueris etiam, ipsa Clementis uerba Strom. I, 21, 106: *Λέων δὲ ὁ τὰ περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον θεῶν πραγματευσάμενος τὴν Ἶσιν ὑπὸ Ἑλλήνων Δήμητρα καλεῖσθαί φησιν* (in sequ. apud Clementem etiam de Serapide disputatur atque nostro loco apud Arnob. pg. 165. 18—24 de iisdem Serapide et Iside) auctorem legisse et inde *Leontis* nomen suo loco indidisse. — Denique Leon ab aliis „*Aegyptius*" appellatus ab Arnobio „*Pellaeus*" uocatur, quod idem erat atque Aegyptius (cf. Verg. Georg. IV, 287).

Loc. sim. 16: de Bacchanalibus

A. V. 19 (190. 16—21) = Cl. II. 12 (14, 7—12)

Bacchanalia etiam praetermittemus inmania quibus nomen Omophagiis graecum est, in quibus furore mentito et sequestrata pectoris sanitate circumplicatis uos anguibus, atque ut uos plenos dei numine ac maiestate doceatis. caprorum reclamantium uiscera cruentatis oribus dissipatis.

Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες καὶ τελίσκουσι τὰς κρεανομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖσ ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐάν... καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος.

De Bacchanalibus, quae explicat Arnobius, aliter disserit Clemens. et potest Arnobius talia ex sua notitia (cf. de orgiis illis Liu. XXXIX. 8 sqq., Firm. Mat. de err. prof. rel. c. 6; Preller. Röm. Myth. II³, 363 sqq.) enarrauisse. Quod eo probabilius est, quia c. 18 de similibus Romanorum sacris loquitur et init. c. 19 ipsos populares uidetur increpare. Sed obstat „*Omophagiis*". quam uocem uix dubium est ex Clemente in Arnobium uenisse. Accedit quod dissensio

inter scriptores uerborum magis est quam rerum. Nam Arnobii uerba *„in quibus furore mentito et sequestrata pectoris sanitate“* ex uerbis Clementis *„Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι“, „ἱερομανίαν ἄγοντες“, „ἐπολολύζοντες Εὐάν“*, uidentur ficta esse. Deinde cum uerba Clementis *„τὰς κρεανομίας τῶν φόνων“* difficillima sint intellectu, ea fortasse Arnobius, siquidem iam illa aetate legit, circumscripsit uerbis non plane dissimilibus *„caprorum reclamantium — dissipatis“*. — Itaque Arnobius, quamuis de Bacchanalibus aliunde edoctus, etiam hoc loco Clementem sequitur.

Loc. sim. 17: de Cypriae Veneris mysteriis

A. V, 19 (190, 21—24) = Cl. II, 14 (15. 15—23)

nec non et Cypriae Veneris abstrusa illa initia praeteribimus, quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse, in quibus sumentes ea certas stipes inferunt ut meretrici et referunt phallos propitii numinis signa donatos.

— ἡ Κινύρα φίλη, τὴν Ἀφροδίτην λέγω, τὴν φιλομηδέα ... ἐν ταῖς τελεταῖς ταύτης τῆς πελαγίας ἡδονῆς τεκμήριον τῆς γονῆς ἁλῶν χόνδρος καὶ φαλλὸς τοῖς μυουμένοις τὴν τέχνην τὴν μοιχικὴν ἐπιδίδοται· νόμισμα δὲ εἰσφέρουσιν αὐτῇ οἱ μυούμενοι, ὡς ἑταίρας ἐρασταί.

De Cinyra Arnobium sua ex Clemente sumpsisse uidimus pg. 11 sq. Sed offendunt uerba *„quorum conditor — fuisse“*, de quibus tacet h. l. Clemens. Tamen ea uerba procul dubio ex iis, quae de Cinyra et hoc loco et aliis locis apud Clementem inuenit, Arnobius addidit. Praecipue ex uerbis Clementis eadem pagina allatis *„τὰ περὶ τὴν Ἀφροδίτην μαχλῶντα ὄργια ἐκ νυκτὸς ἡμέρᾳ παραδοῦναι τολμήσας“* scil. *Κινύρας* (p. 14. 36—15, 1) additamentum ortum est.[1])

[1]) Item Firm. Maternus (cf. supra pg. 13 adn. 2 et pg. 19 adn. 1) eosdem de Cinyra locos Clementinos in unum uidetur coagmentauisse. Cf. de err. prof. rel. c. 10: *„audio Cinyram Cyprium templum amicae meretrici donasse — ei erat Venus nomen —, initiasse etiam Cypriae Veneri plurimos*

Loc. sim. 18: de Corybantiis sacris

A. V, 19 (190, 24—191, 3) = Cl. II, 19 (17, 19—29)

obliuioni etiam Corybantia sacra donentur — inexpiabilis contraheretur offensio.	*Εἰ θέλεις δ' ἐποπτεῦσαι καὶ τὰ Κορυβάντων ὄργια — τὸ σέλινον ἐκπεφυκέναι.*

Clementis uerborum breuiarium A. litteris uidetur mandauisse, nihil de suo adiungens nisi uerba, quae uetitum illud etiam grauius redderent „*ne a Manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.*"[1])

Loc. sim. 19: de Libero a Titanis distracto

A. V, 19 (191, 3—14) = Cl. II, 17. 18. (16, 29—17, 17)

sed et illa desistimus Bacchanalia altera praedicare — ab Hesperidibus mala.	*τὰ γὰρ Διονύσου μυστήρια — Ἀπόλλωνι τῷ παιδὶ παρακατατίθεται καταθάψαι.*

De Libero fabulam iam supra 1, 41 strictim Arnobius commemorauit. Sed cum ibi eum appellet una cum Aesculapio, Hercule, Attide, Romulo, ut demonstret, ab ipsis gentilibus homines grauissimis cruciatibus interemptos deos existimari (sicut ab Christianis Christum), ex alio fonte, Euhemeristicae nimirum indolis, transtulisse eam uidetur. At hoc loco Arnobium Clementem secutum esse uerisimile est; uberius enim loquitur et uerba Clementis uerbis de Corybantiis (cf. loc. sim. 18) factis eodem loco antecedunt. — Clementina Arnobius in compendium coegit neque quidquam addidit nisi uerba „*atque in imas Tartari praecipitauerit sedes*" (191, 10).

---

et uanis consecrationibus deputasse, statuisse etiam ut quicunque initiari uellet secreto Veneris sibi tradito assem unum mercedis nomine deae daret. quod secretum quale sit omnes taciti intellegere debemus, quia hoc ipsum propter turpitudinem manifestius explicare non possumus."

[1]) De Corybantiis sacris praeterea Firm. Maternus (de err. prof. rel. c. 11 init.) refert, qui hoc quoque loco ex Protreptico uidetur hausisse, praesertim cum Cabiri, ad quem spectat in sequentibus Clemens, mentionem faciat.

Loc. sim. 20: de Ioue, Cerere, Proserpina

A. V, 20. 21 (191, 14—193, 8)	Cl. II, 15. 16 (15, 24—16, 20)
erat nobis consilium praeteri-re — ab inferioribus partibus atque imis.	*Δηοῦς δὲ μυστήρια — ἀναστρέφουσιν οἱ βάκχοι.*

Verbis Arnobii primis „*erat nobis consilium — transire*"(c. 20) Clementinam originem indicari supra pg. 10 demonstraui. In sequentibus quamuis uerborum copia longe superet Clementem, nihil tamen noui eum adiecisse indicabis. Primum enim fuse per totum cap. 20 uerba facit, quibus dolus, quo Iuppiter moueat Cereris animum (ea ab re apud Clementem initium narrationis fit: pg. 15, 30) praeparetur. Sed haec *(de Iouis amore in Cererem matrem, de deo in tauri speciem mutato, de Cereris ira)* ex Clementinis cum ipsi narrationi antecedentibus („*Διὸς πρὸς μητέρα Δήμητραν ἀφροδίσιοι συμπλοκαὶ καὶ μῆνις*", „*ἱκετηρίαι Διὸς καὶ πόμα χολῆς*": c. II, 15), tum superioribus (— „*τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς Δηοῦς, τῆς πρὸς Δία γεγενημένης*": c. II, 13) facillime supplentur. Ut „*tauri*" speciem, de qua tacet Clemens, proferat Arnobius, factum uidetur lectione prioris partis senarii „*ταῦρος πατὴρ δράκοντος*": Cl. II. 16 (pg. 16, 17 sq.) Quibus de rebus cum copiose disputet auctor, mirum fortasse uidebitur, quod uerborum Clementis de initiationis symbolis („*τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως — οὐ χλεύη τὰ μυστήρια;*" pg. 15, 34—16, 5) nullum occurrit uestigium: sed omisit ea utpote aliena a suo consilio. — Deinde in enarrandis ceteris (*de Iouis in draconem commutatione et amore in Proserpinam, de partu uirginis:* A. V. 21 pg. 192, 19—27) non plane dissentit cum Clemente (II, 16 pg. 16, 10—16); tamen quaeritur, cur Iouem appellauerit „*uerueceum*" (pg. 192, 19): ludit, ut opinor, Arnobius et quia testiculos, quos Cereri dederat, non a se ipso sed ab ariete sumpserat: cf. c. 23 (pg. 194, 16): „*uerueeum*" greges pro „*arietum*".[1]) — Denique cur „*Tarentinum*" nocauerit

[1]) Vocabulum „*uerueceus*", quod ad rem propositam ex suo ingenio finxisse uidetur Arnobius (cf. Georges, ausf. lat. deutsch. Handwörterb. 7. Aufl. s. u.) hoc loco uix significare potest eum „*qui ueruecis formam habet*". Itaque „*uerueceus Iuppiter*" nostro sermone fortasse recte uertitur: „*der Schöps-Juppiter.*"

A. senarium a Clemente II, 17 citatum, non plane liquet.[1]) Sed uidentur ei res ad *Sabazii* mysteria pertinentes notae fuisse, quia etiam in uerbis c. 21 „*in quibus aureus coluber — atque imis*“ (pg. 193. 6—8) accuratius refert Clemente (cf. Preller. Röm. Myth. II[3]. 368 adn. 1). — Restat ut dicam. de hac fabula capp. 20 et 21 uerbose prolata capp. 22 et 23 etiam uberius Arnobium disputasse nulla adiecta re, cuius notitiam Clemens non suppeditet. —

Loc. sim. 22: de Libero et Prosymno

A. V. 28. 29 (199. 5—200, 17) = Cl. II. 34 (29. 18—30. 6)

iam dudum me fateor haesitare — ipsa religionis in re sit?

ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια — ἀσελγείας ἱεροφαντίαν.

De Liberi mysteriis. quae inepte Arnobius nocat *Alimantia* cf. pg. 16 sq. Exstant in eodem contextu uerba „*tricas quemadmodum dicitur conduplicare Tellenas*“ (199. 6—7). de quibus non satis constat. sed quas nominauisse uidentur Romani. cum de rebus minus iucundis agebatur. Etiam Clemens h. l. prouerbio utitur: *ἐπὶ Σάγρᾳ:* 29. 19 (cf. Schol. Cl. Klotz pg. 106; Cic. d. n. d. III, 5, 13 et Schoemann ad l.) — Ceteris uerbis copiosius A. disserit quam Clemens, sed nihil noui aut subtili quaestione dignum affert. Fabulosis tamen nominibus luxuriatur et quasi se iactat: *Nysius, Semeleius; Ditis, Acherusios aditus; Stygem, Cerberum, Furias; Euius.* Eorum nominum plurima. utpote Romanis Graecorum fabularum scientia paululum imbutis nota. non ea sunt, de quibus multis disputemus. Excipio „*Nysium*“ et „*Euium*“ Liberum: tamen uel ambo cognomina Arnobium ex Cicerone (p. Flacco 25, 60) uel *Euium* ex Lucretio (V. 741) cognouisse licet existimare. — Denique animaduertas, *Heraclitum* nescio quem auctorem confidenter appellare Arnobium (c. 29 init.), cuius ipse quoque Clemens citat uerba (pg. 30. 1—3).

[1]) Ad fabulam Rhintonicam uersum pertinere suspicatus est Heraldus.

Loc. sim. 23: de templorum conditoribus

A. VI. 3 (216, 13—16) — Cl. III. 44 (38, 4—6)

quorum si quaeris audire — Iouis progenies Aeacus.	εἴτε Φορωνεὺς ἐκεῖνος — ἀνέστησαν αὐτοῖς . . .

Meropi Arnobius addidit „*Aegyptius*": cf. Schol. Clem. Klotz pg. 111: Φορωνεὺς Ἀργεῖος ἦν τῷ γένει (cf. Preller, Gr. Myth. II³. 36 sqq.), ὁ δὲ Μέροψ Κῷος. Sed duo reges Meropes, de quibus quaeri potest, ab antiquis scriptoribus nominantur, alter Coum, alter Aethiopum rex. Is cum laudetur ab Ouidio (Metam. I, 763; Trist III. 4. 30), ueri simile est, ad eum h. l. Arnobium spectantem posuisse „*Aegyptium*". Tamen, quia uix quisquam certe diiudicabit, utrum alium Meropem auctor laudauerit an pro arbitrio „*Aegyptium*" adiecerit, in medio rem relinquo.

Loc. sim. 24: de mortuis in templis sepultis

A. VI. 6 (218, 10—219, 10) = Cl. III. 44. 45 (38, 22—39, 14)

quid quod multa ex his templa — nec exactum desiderat curam...	οὓς δή, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τούτους σιωπήσομαι — οὐδ' ὁ πᾶς ἂν ἀρκέσαι χρόνος·

De uerbis h. l. primis (*quid quod — sepulturas esse?*) et extremis (*infinitum est — curam . . .*) pg. 9, de *Cinyrae* commemoratione pg. 11 sq., de *Dairae* nomine pg. 17 disserui. Ceterum per totum c. 6 cum Clemente accurate congruit auctor. *Eumolpi* nomen omisit.

Loc. sim. 25: de simulacris

A. VI. 11 (222, 11—18) = Cl. IV. 46 (39, 20—40, 8)

ridetis temporibus priscis Persas — pluteum Samios pro Iunone.	Εἰ δ' ἔτι πρὸς τούτοις φέρων — τὸ ξόανον Οὐάρρων ὁ συγγραφεύς. . .

Accurate consentiunt scriptores, sed uerbosior hoc loco Clemens. Pro Ἥρᾳ Arnobius appellat *Cinxiam*, quod nomen

e Labeone auctori fluxit (cf. Arnob. III, 25; 30; Kahl l. c. 723. 775). Addidit *Deum Matrem Pessinuntiorum*, quam alibi quoque uocat (cf. Arnob. V, 5 sqq.; VII. 49; supra pg. 5 adn. 2).

Loc. sim. 26: de simulacris ad hominum formas fictis
A. VI, 13 (224, 21—225. 16) = Cl. IV. 53 (46. 25—47. 1)

quis est enim qui ignoret Athenienses — Iouis numen simulacrumque sacrare.	*ὁ μὲν Ἀθηναῖος Φειδίας ἐπὶ τῷ δακτύλῳ — πρὸς Ἀλκιβιάδην ἀπείκαζον.*

De *Posidippo* h. l. et Arnob. VI. 22 laudato pg. 11 tractaui. Eadem ipsa quattuor exempla Arnobius attulit, quae Clemens, sed adiectis (ad *Phrynam* praecipue illam *Thespiacam*) sententiis dilatata atque exornata, quibus tamen nihil noui exprimitur. Neque enim ullam uim uidentur habere uerba (224, 27): „*sicut illi referunt, qui negotia Thespiaca scriptitarunt*" neque quidquam aliud indicare, nisi quod fide caret auctor in fontibus citandis, quos uel finxisse uidetur.

Loc. sim. 28: de simulacris
A. VI, 21 (232, 8—25) = Cl. IV, 52 (45, 17—27)

Antiochum Cyzicenum ferunt decem cubitorum Iouem ex delubro aureum sustulisse et ex aere bratteolis substituisse fucatum . . .	*Διονύσιος μὲν γὰρ ὁ τύραννος ὁ νεώτερος θοἰμάτιον τὸ χρύσεον περιελόμενος τοῦ Διὸς ἐν Σικελίᾳ, προσέταξεν αὐτῷ ἐρεοῦν περιτιθέναι, χαριέντως φήσας τοῦτο ἄμεινον εἶναι τοῦ χρυσίου, καὶ θέρους κουφότερον καὶ κρύους ἀλεεινότερον.*
Dionysius ille sed iunior, cum uelamine aureo spoliaret Iouem et pro illo laneum subderet, iocularibus etiam facetiis ludens, cum esse illud in rigoribus algidum, hoc uaporum, one-	*Ἀντίοχος δὲ ὁ Κυζικηνὸς ἀπορούμενος χρημάτων τοῦ Διὸς τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν, πεντεκαίδεκα πηχῶν τὸ μέγεθος ὄν, προσέταξε χωνεῦσαι καὶ τῆς ἄλλης τῆς ἀτιμοτέρας ὕλης*

rosum illud in aestatibus diceret, hoc rursus sub ardoribus flabile . . .

nam quid Aesculapii grauitatem ab eo esse commemorem risam? quem cum barba spoliaret amplissima boni ponderis et philosophae densitatis, facinus esse dicebat indignum, ex Apolline procreatum patre leui et glabro simillimoque inpuberi ita barbatum filium fingi, ut in ancipiti relinquatur, uter eorum pater sit, uter filius, immo an sint generis et cognationis unius?

ἄγαλμα παραπλήσιον ἐκείνῳ πετάλοις κεχρυσωμένον ἀναθεῖναι πάλιν.

Cic. de n. d. III, 34, 83: *qui (sc. Dionysius) quum . . . et in fanum uenisset Iouis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat . . . Atque in eo etiam cauillatus est, aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum, eique laneum pallium iniecit, quum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit. Neque enim conuenire barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset.*

Trium exemplorum, quae affert Arnobius, cum in duobus enarrandis (de *Dionysio Iouis* et *Aesculapii direptore*) congruat cum Cicerone, eum fontem auctorem secutum esse opinatus sis. Tamen primum exemplum (de *Ant. Cyz.*), quod desideratur in Cicerone, a Clemente mutuatus est. Parui est momenti, quod *decem* cubitorum Iouem uocat Arnobius, *quindecim* cubitorum Clemens. Praeterea ita auctor cum Clemente consentit, ut ipse quoque illa de *Ioue* et *Aesculapio* dicta ad Dionysium *iuniorem* referat, quae apud Ciceronem ducuntur a Dionysio *maiore* (cf. d. n. d. III, 33, 81 et Orelli, Onomast. Tull. s. u. Dionys. mai.). At cum tertium Arnobii de *Dionysio Aesculapii spoliatore* exemplum non inueniatur in Clemente, hoc loco ex duobus fontibus iterum auctor pendere putandus est.[1])

---

[1]) cf. p. 4 et 17; Kettner l. c. pg. 6.

Loc. sim. 29: de simulacris contaminatis

A. VI, 22 (233, 8—20) = Cl. IV, 57 (50, 19—27)

Philostephanus in Cypriacis auctor est — uoluptatum consequentium finibus.	*οὕτως ὁ Κύπριος ὁ Πυγμαλίων — ὁ δὲ ἕτερος ἐν τῷ περὶ Κνίδον.*

Posidippum de Cnido auctorem pg. 11 et 30 commemorauimus. *Pygmalionem* Veneris simulacri amatorem praeter Clementem Ouidius laudat (Metam. X, 243 sqq.). Hoc autem loco Clementem auctor sequitur, quod item nuntium refert ad *Philostephanum*. Mirum sane in ceteris, quam multa uerba (in quibus nihil inest, quod Clementinis non suggestum sit) A. fecerit de rebus a Clemente breuiter narratis. Tamen etiam hoc loco auctor id egit, ut maioribus opprobriis antiquam religionem obiurgaret.

Loc. sim. 30: de templorum incendiis

A. VI, 23 (234, 4—20) = Cl. IV, 53 (46, 14—22)

sed si deae Veneres — Varro ut dicit set Mennipeus, ostenderet?	*τοῦτο τὸ πῦρ καὶ τὸν ἐν Ἄργει νεὼν — ἔπειτα ἠφάνισε πῦρ σωφρονοῦν.*

Sex exempla affert et Arnobius et Clemens, sed nonnullis alter cum altero discrepat. Cum *Chryside* Arnobius *Iunonem Argiuam* commemorat (cf. Thuc. II, 2; IV, 133), *Amazones Dianae* omisit, *Iouem* in Capitolio Romano inflagratum cum *uxore* et *filia* nominat, *Serapidi Isidem* addidit (cf. Arnob. I, 36; II, 73; IV, 29), septimum *Dodonaeum Iouem* adiunxit. Eas discrepantias ex Arnobii ingenio profluxisse cogitare licet. Extremum uero de *Apolline* exemplum, quod non aperte refert auctor ad Delphicum templum (Cl.: „τὸν ἐν Δελφοῖς" sc. νεών), praesertim cum aliis quoque rebus Clementi dissimilis sit, ex altero fonte (Varronem suspicor) uidetur adiecisse. —

VII.

Sed subsistamus hic et uideamus, quid hactenus lucrati simus.

Apparuit, sententiam, Clementi sua debere Arnobium, nullo loco in dubium uocari, sed ipsis discrepantiis, quas notauimus, firmari. Quarum nonnullae ortae sunt ea re, quia obiter ac neglegenter Arnobius Clementem legit (cf. supra cap. V: loc. sim. 7, 9, 11, 22, 24), maior autem pars, quia consilio auctor Clementis uerba immutauit. Nam aut propria commenta (cf. cap. VI: loc. sim. 1, 5, 7, 18, 19, 26 e. a.) uel unicuique homini Romano nota (cf. cap. VI: loc. sim. 8, 11, 16, 22, 25, 30 e. a.) immiscuit, aut duos locos Clementinos in unum coniunxit (cf. cap. VI: loc. sim. 15, 17), aut additamenta ex aliis scriptoribus sumpta adiecit (cf. cap. VI: loc. sim. 11, 13, 14, 23, 28, 30; supra p. 6 adn. 1). Nec dubia est causa, qua commotus auctor id fecerit. Nam id maxime spectabat, ut uel Clementis odium antiquae religionis augeret. Inde passim factum est, ut res a Clemente breuiter enarratas dilataret et uerbose pertractaret (cf. impr. cap. VI: loc. sim. 1, 20, 22, 26, 29). —

VIII.

Certius nunc licebit de duobus locis iudicare, qui maxime uexauerunt uiros doctos.

Atque de loc. sim. 11: A. IV. 25 (162.7—13) — Cl. II. 30 (25.33—26.21) paucis iam supra pg. 21 dixi; nunc reliqua computemus:

162 (11—13): *Hieronymus *** Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur, qui in Octaeis uerticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum in cinerem prodidit?*	26 (16—21): *Ἱερώνυμος δὲ ὁ φιλόσοφος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ* (sc. *Ἡρακλέους*) *ἐφηγεῖται τοῦ σώματος . . . Δικαίαρχος δὲ σχιζίαν . . . οὗτος οὖν ὁ Ἡρακλῆς κ. τ. λ.*

Constat, etiam his uerbis sua Arnobium ex Clemente mutuatum esse. Sed quaeritur, unde *Plutarchi* nomen in Arnobium uenerit. Coniecerunt Orelli et alii *Chaeronaeus Plutarchus*

pro Hieronymus Plutarchus, qua in re Clementem Arnobii fontem esse neglexerunt. Itaque Zink[1]) emendauit *Hieronymus aut Dicaearchus* (pro Nourryi *H. et Dic.*), quod per Clementem commendatur et cum singulari „*comprobatur*“ coniungi potest; tamen obstat singularis „*prodidit*“. Vulgatam igitur lectionem secundum P suo iure reseruauit Reifferscheid et lacunam signauit. Etenim ea de re, quia lectio corrupta est, certo nequit iudicari. Potest enim, nisi fictum est *Plutarchi* nomen pristinae lectionis corruptela, cuius originem nemo enodabit, aut in Clemente excidisse *Plutarchi* mentio, aut addidit Arnobius Plutarchei[2]) libri commemorationem, quem per casum nouerat.

Loc. sim. 21: de Cerere et Baubo

A. V, 24—26 (195. 8—198.9) = Cl. II, 20. 21 (18,9—19,7).

Hoc loco Clementem Arnobio ante oculos obuersatum esse, ex commentatione mea pg. 10 sq. facta elucet. Sed in ipsa fabula enarranda ualde inter se differre scriptores nemo negabit. Et tantae tamque insignes sunt discrepantiae, ut A. Ludwich (Jahrb. für class. Philol. 1890 p. 51 sqq.) Arnobii uerba ex ipso Protreptico deduci posse negaret et alterum Arnobii fontem praeter Clementem admitteret (pg. 52 sqq.), Clementis autem uerba, quae traduntur, lacunarum plena (pg. 53) et mendosa (pg. 54 sqq.) esse putaret. Dissentit R. Förster (der Raub und die Rückkehr der Persephone pg. 282 sqq.), qui scriptorum sententias coniectura in Arnobio facta inter se conciliari posse putat (l. c. pg. 283 sqq.).

Triplici autem ratione Arnobius a Clemente uidetur dissentire:

1. Copiose A. (pg. 196. 23—197. 3) uerba praefixit, quibus enarretur, quomodo Baubo iocum praeparauerit;

[1]) Zur Kritik u. Erklärung des Arnobius. Progr. des Gymn. v. Bamberg. 1873, pg. 9 sq.

[2]) cf. Gellium I, 1.

quorum nihil affert Clemens nisi uerba „*ἀναστέλλεται τὰ αἰδοῖα*“ (pg. 18, 28).

2. Silentio praeteriit *Iacchi* nomen, cuius apud Clementem mentio fit in altero Orphei uersu (pg. 18, 36).

3. In conuertendis Orphicis uersibus ad uerba „*succutit, plaudit, contrectat*“ non Clementinum „*παῖδα Ἴακχον*“ sed Baubo fecit subiectum.

Sed primum hoc moneo:

Primis uerbis haec enarrat Arnobius: „*partem illam corporis — tum longiore ab incuria liberat, facit sumere habitum puriorem et in speciem leuigari nondum duri atque hystriculi pusionis*“, i. e. parti illi corporis quolibet modo dedit „*pueri speciem*“. Ea de re cum taceat Clemens, Ludwich pg. 53, 1 lacunam in Clementis textu inesse opinatur, quam Arnobius ex alio fonte expleuisse ei uisus est.[1]) Tamen uerborum, quae praemisit Arnobius, originem in eo Clementis textu, quem nunc habemus, reperiri posse censeo. Nam et pronum fuisse in obscenitatem Arnobium scimus et uidimus,

[1]) Id ipsum Ludwichium sentire, colligo ex uerbis pg. 58: „*Der Bericht des Arnobius ist entschieden der vollständigere und bessere, und was er von den Vorbereitungen der Baubo sagt, harmoniert derartig mit allem andern, dass ich nicht anstehe anzunehmen, Arnobius habe ausser dem προτρεπτικός des Clemens das Orphische Gedicht selber noch vor Augen gehabt.*“ Tamen hoc loco occasione data dicere mihi liceat, miratum me esse, quod auctor non ad sententiam accessit, ex integro Clementis codice Arnobium hausisse. Etenim eam sententiam disputatione Ludwichii supra facta praesignatam et quasi indicatam esse iudico. Nam in ipso exordio (pg. 52 sqq.) exstant uerba: „*Arnobius kann hier nicht lediglich aus dem προτρεπτικός geschöpft haben, wenigstens nicht aus derjenigen Fassung desselben, die uns heute vorliegt. Er muss eine andere Quelle benutzt haben.*“ Itaque ipse uir doctus aliam eamque integram Protreptici textus formam potuisse existere non omnino uidetur negare. Eandem ad rem spectant uerba pg. 53, quibus de lacuna nunc ipsum commemorata dicit auctor: „*mithin enthält die Clementinische Erzählung eine offenbare, sei es durch den Verfasser selbst oder durch seine Abschreiber verschuldete Lücke.*“ Qua cum sententia quam parum concinat, quod idem pg. 58 dixit de Arnobii ipsius carminis Orphici usu, neminem fugiet.

quanta temeritate Clementis gentilium irrisionem in turpe auxerit. Qua re ex uerbis „παῖς δ' ἦεν Ἴακχος", nouam sibi elicuit obscenitatem; quae, si notionem παῖς urgebat, ita interpretatus esse potest Arnobius, ut inde descriptionem deduceret illius, quod cerni potuit, cum Baubo *πέπλους ἀνεσύρατο,* praesertim cum additamentum occurrat „δεῖξε δὲ πάντα σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον", quae uerba ipsa quoque ad pueri speciem possunt referri. Itaque etiam hoc loco mihi uidetur Arnobius, ut gentilium mysteria absurda esse et insulsa conuinceret, turpia quae inuenit apud Clementem impura cogitandi audacia turpiora reddidisse.[1]) Ita una cum turpi Baubus actione, quae exprimitur uerbis „πέπλους ἀνεσύρατο" optime sese obtulerunt uerba „παῖς δ' ἦεν", in quibus indicatam se habere auctor opinatus est „*pueri imaginem*". Et eius de origine ac specie dicens cur ipsum *Iacchi* nomen omiserit, facile intellegitur, cum appareat, non tam Arnobii interfuisse, certi personae nomen indicari, quam pueri cuiuslibet imaginem quasi depingi.

Deinde praefixis nunc uerbis optime uidetur illustrari, quo modo primum et alterum Orphicorum uersuum auctor ipse sibi interpretatus sit. Simul, cur in Orphicis quoque uersibus apud eum *Iacchi* nomen absit, plane liquet. Satis enim habuit auctor, uerba Clementis „παῖς δ' ἦεν Ἴακχος" exprimere uerbis „*nam puerilis ollis uultus erat.*" Qua re ut expediamus difficultatem, quae in eo inest, quod alter Iacchum nominat, alter non appellat, neque coniectura opus uidetur esse Ludwichii, qui et in fonte Arnobii Iacchum delere studeat[2]),

[1]) Quamquam existimare certe licet, praecipue *Iacchi* nomen hoc loco, ut criticis nostris, ita Arnobio aliquantum angustiarum effecisse et iam eam ob causam propensum eum fuisse ad aliam loci interpretationem, qua illud ineptum *Iacchi* nomen posset deleri.

[2]) Sententiae Ludwichii pg. 54: „*Clemens kann diesen Spassvogel Iacchos überhaupt nicht gekannt haben, denn er nennt uns die damaligen Bewohner von Eleusis mit Namen, ohne doch des Iacchos zu gedenken. Bei der Wichtigkeit der Rolle aber, welche der eigentliche Spassmacher in der geschilderten Scene spielt, ist es ganz undenkbar, dass Clemens ihn in jener Reihe nicht namentlich würde aufgeführt haben*" non adstipulor. Quis enim

neque Foersteri, qui ipsis Arnobii uersibus latinis Iacchum inserendum esse censeat.[1])

Denique quod in altero ac tertio Orphei uersuum Baubo fecit subiectum Arnobius pro Ἰάκχῳ Clementis, nunc minus offendit. Apertum enim est, consulto illic auctorem Baubus et Iacchi partes mutauisse, quia Iacchum neque antea adhibuerat neque nunc appellare poterat.[2]) Accedit quod ad legentium animos turpibus rebus permouendos minime intererat, utrum Baubo

est, qui demonstret aut conuincat, Clementi, cum Iacchum in uersibus Orphicis citet, eundem iam in uerbis antecedentibus utique nominandum fuisse? Immo uero iam saepius uidimus, in citandis nominibus aut rebus Clementem liberum esse neque sibi ipsum semper consentaneum. Itaque hoc loco in uersibus Orphicis eadem ratione Iacchi nomen afferre potuit nondum antea appellatum, qua II, 16 (pg. 16, 17) in senario „*taurum*", quamquam de eo neque antecedentibus uerbis dixerat neque subsequentibus dicturus erat. Adde quod etiam illo loco Arnobius *taurum* e senario Clementis sumptum praemissis uerbis perstringit (loc. sim. 20: cf. pg. 27 sq.)

[1]) Commemoratione dignum uidetur, quod Foerster coniectura l. c. pg. 284 probata „*quas caua succutiens Bacchi manu*" (de „*manu*" = „*manus*" cf. Foersterum eodem loco) triplicem utilitatem sibi sumpsit. Primum enim *Bacchi* nomen Arnobii quoque uersibus latinis inseruit; deinde metrica uitia Arnobii uersibus tradita deleuit; denique Arnobii uerba latina ad graecorum uersuum alterius ac tertii grammaticam rationem optime aptauit. Tamen Bacchum apud Arnobium h. l. haudquaquam suo iure nominari supra demonstrauimus. Deinde mirum sane est, quod tertius Arnobii uersus claudicat („*caua*" et „*manu*" non sunt pyrrhichii); sed ita Arnobium peccauisse neque ipse Ludwich (pg. 55 adn. 4) negare audet et equidem censeo. Proponit praeterea uir doctus eodem loco Heinsii „*Baubus manu*'," quod et magis placere et ueri similius esse puto quam Foersteri „*Bacchi manu*'." Denique de discrepantiis Arnobii ab grammatico graecorum uersuum sensu nunc dicamus.

[2]) Verba Foersteri pg. 285: „*Umgekehrt müsste Arnobius, wenn er eine solche Vertauschung der Rollen vorgenommen hätte, dies in den vorhergehenden Worten angedeutet haben*" minus recta esse nunc elucet. Nam ita res se habet, ut latinorum uersuum uerba ad praefixa uerba auctori essent accommodanda, non praefixa uerba ad uersuum compositionem. Accedit quod praefixa uerba tam uniuersae sunt indolis, ut certe non inconstantiae arguamus auctorem, quod in sequentibus uerbis pro „*Iaccho*" *Baubo* nominauit subiectum ad uerba „*plaudit, contrectat*",

an Iacchus an quilibet alius id ageret, quod continetur uerbis „*quas caua — contrectat amice.*" —

Arnobii uerba hoc loco prolata ex ipsius Clementis uerbis, qui nunc leguntur, intellegi et illustrari posse ostendimus. Quae si recte disputauimus, utilitatem inde percipient Orphei uersus a Clemente traditos interpretaturi, quod facilius ex Orpheo Orpheum quam ex Arnobio explicari posse apparet.[1])

---

cum procul dubio Arnobii arbitrio permitteretur, quo modo infra in uersibus latinis rei proferendae rationem sibi fingeret et enarrare uellet.

[1]) Itaque non suo iure obtinere uidetur Ludwich pg. 55: „*Nach alledem kann es meines Erachtens nicht im mindesten zweifelhaft sein, dass Clemens durch Arnobius zu emendieren ist, nicht umgekehrt Arnobius durch Clemens.*" Arnobium quidem per Clementem emendandum esse, ipsi quoque nos negamus; tamen per Clementem Arnobium intellegendum esse et intellegi posse, illud contendimus. —

